

... quo genere figurae creberrime utitur; et idcirco semel atque iterum demonstratum iam in ceteris etiam sua sponte lector adgnoscat.

Subsignari aput aerarium aut aput censorem possint.

De iure loquitur praediorum, in quae per vim et iniuriam videbatur invasisse Decianus. Praedia autem, quae iure legitimo non habentur, neque aput aerarium subsignari neque aput censorem possunt. Et subsignandi haec solebat causa <esse, ut> aut qui vectigalia redimeret aut qui pro mancipe vectigalium fidem suam interponeret, loco pigneris praedia sua rei p. obligarent, quoad omnem pecuniam redemptores vectigalium repensarent.

§ 82. Ut duceret iudicium?

Ut protraheret causae cognitionem.

Invidisti ingenio subscriptoris tui; quod ornabat facete locum quem prenderat.

Haec . . . Cicero dicit infantissimos oratores et nulla eloquentiae praeditos dignitate volens significare, quos nec pecunia corruptos ab aliquo suspicari quisquam debeat, quorum ingenium despici magis quam timeri oporteret.

§ 83. Et eum tu accusas avaritiae, quem dicis sestertium viciens voluisse perdere?

Cum stomachi asperitate proscidit Luceium, qui tam nullius eloquentiae sit, ut Flaccus eam pecuniam fuerit perditurus eo parcente, qui tam inani esset ingenio, ut etsi maxime cuperet, tamen nocere non posset.

§ 84. Nihil potest de tutela legitima nisi omnium tutorum auctoritate deminui.